



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

VII. De capitibus sumptis à sexta synodo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

DE CAPITIBUS SUMPTIS
à sexta synodo.*Dialogus septimus.*

A. DE sextæ synodi repetitæ in Trullo decretis sive regulis agendum est. Neque credo te dubitare de fide sextæ synodi, quæ contra Monothelitas habita est Constantinopoli in Trullo, quod palatij sive aulae regiae nomen est, sub Agathone Pontifice & Constantino IV. Imperatore. Hæc confirmata est, mortuo Agathone, à Leone minore. Hanc nullos canones fecisse tam Græci quàm Latini confitentur. Sed & in his ipsis regulis de quorum auctoritate dubitamus hoc apertè dicitur. Recita ex Tiliij libro, quem habes, Græca verba epistolæ sive adlocutionis hujus synodi. **B.** ἐπεὶ δὲ ἡ αἰ ἀρχαία καὶ οἰκουμενικὰ σινώδοι, αἱ καὶ ταύτῃ τῆ βασιλεία καὶ θεοφύλακτον πόλιν συναθροισθεῖσαι, ἡ μὲν ἐπὶ τῷ χρόνῳ τῆς τῆς θείας λήξεως ἡ δὲ ἐπὶ τῆ ἐν εὐσεβείᾳ τῆς μνηθρομένῃ ἡμῶν βασιλείας Κωνσταντίνου πατρὸς τῆς ἡμετέρας, τό τε τῆ πίστεως πατερικῶς διατηρησάσαι μυστήριον, οὐδαμῶς ἰεροῦς κληρόνας ἐκέλευσαν, καθάπερ αἱ λοιπαὶ ἀρχαὶ Ἰέσσαρες οἰκουμενικαὶ σινώδοι. **A.** Satis est ad id quod volebam. Latine recitet **C.** noster. **C.** Cum quo Imperatore loquitur hæc synodus? **A.** Cum Justiniano posteriore, ejus Constantini filio sub quo sexta synodus habita est. **C.** Quo pacto

*Viden. Ivo
par. 4. c. 120.
c. 124. c.
125. decr.*

probas eum esse Justinianum posteriorem.
 A. Quia prioris Justiniani, sub quo synodus
 quinta habita est, mentio hic fit, eumque
 mortuum esse verba illa, τὸ δὲ θείου λόγου,
 ostendunt. Inscriptio epistolæ ad Justinia-
 num missæ recitetur. B. τὰς εὐσεβείαι τῶν φιλοχρί-
 στῶ βασιλέων Ἰουστινιανῶν ἡ ἀρχαὶ ἐκ οἰκουμένης συνόδου
 &c. A. Recitet C. Gratiani verba capitis vii.
 distinctionis xvi. C. *Vnde sancti patres in ea-
 dem synodo congregati dixerunt. Quoniam
 sanctæ universales synodi, quinta sub Iusti-
 niano Augusto, sexta sub Constantino patre
 suo augusto, (A. Tuo pro suo scribendum.
 idque Contio placet, qui non rectè hæc esse
 verba septimæ synodi scribit.) C. de myste-
 rio fidei plenissimè disputantes, canones non
 fecerunt, sicut cetera quattuor universales sy-
 nodi, propterea nos convenientes in hanc im-
 perialem urbem, sacros canones conscripsimus.*
 A. Gratiani verba cum Ivone conferantur.
 C. *Epistula septimæ synodi ad Iustinianum
 filium Constantini.* A. Placet inscriptio, si
sexta pro septimæ scribatur. C. In aliis ver-
 bis nulla varietas est, nisi quod tuo pro suo
 scribit, tuam opinionem confirmans. A. Con-
 fer cum libro Cæsaraugustano. C. Inscriptio
 eadem est: sed *sexta pro septimæ* habet. vox
tua, non *sua*, confirmatur. cetera ut Gra-
 tianus & Ivo habet. (1) A. Hoc jacto fun-
 damento, nullos canones fecisse illam sextam
 universalem synodum, videamus nunc cur
 hi canones sextæ synodi appellentur. Et hoc
 ex Tarasij verbis in septima synodo dictis

Dist. 16. c. 7.
 Quoniam.

Ivo par. 4. c.
 123. decr.

Cas. lib. 1. c.
 40.

elicietur. Recita quæ Gratianus capite v. & vi. illius distin. xvi. scripserit. C. *Sextam synodum sanctam cum omnibus canonibus suis recipio. Sed dubitatur de ea an canones conscripserit. quod ex quarta actione sextæ synodi facile absoluitur.* A. *Septimæ pro sextæ scribendum est. idque Contius probat, quamvis eandem octavam dicat vocari. quod falsum est.* C. *Ait enim Episcopus Petrus Episcopo Nicomediæ.* A. *Hoc etiam mutandum est: Ait enim Petrus Episcopus Nicomediæ.* C. *Habeo librum continentem canones sanctæ synodi sextæ. Patriarcha dixit.* A. *Hic est Tarasius, ut dixi.* C. *Quidam scandalizantur per ignorantiam pro canonibus istis, dicentes: Numquid sexta synodus canones fecit? Sciant ergo quoniam sancta synodus sexta sub Constantino congregata est contra eos qui dicebant unam operationem & unam voluntatem esse in Christo; (A. Hos Monothelitas appellabant.)* C. *in qua sancti patres illos, utpote hereticos, anathematizaverunt, & orthodoxam fidem explanaverunt. Soluta est hac synodus Constantini xiv. anno. Post quattuor verò aut quinque annos iidem sancti patres congregati sunt sub Iustiniano filio Constantini, & prædictos canones promulgaverunt, de quibus nullus dubitet. Qui enim sub Constantino Imperatore in synodo fuerunt, iidem ipsi Episcopi sub Iustiniano istis canonibus suscripserunt. Oportebat enim ut synodus universalis canones ecclesiasticos promulgaret.* A. *Videtis Tarasij rationes quales sint. Quòd iidem Episcopi in-*

Dist. 16. c. 5.
Sextam. & c.
6. Habeo.

terfuerint & subscripserint, quòd post bre-
 ve tempus, hoc est, quattuor aut quinque
 annos, quòd oportuit synodum habere ca-
 nones. B. Quid si hæc omnia falsa sint? Nam
 neque iidem Episcopi interfuerunt, nec sub-
 scripserunt, neque post solos quinque annos.
 Postremò non est necesse canones synodum
 constituere. Id ex quinta & sexta synodo ma-
 nifestum est. A. Hoc postremum verum est,
 cetera postea dices. Volo enim ut priùs con-
 feramus Gratiani verba recitata cum Ivone
 & Cæsaraugustano libro. C. Est etiam non-
 nihil reliqui apud Gratianum. A. Recita. C.
*Item sancta synodus universalis sexta, post
 promulgatam ab ea definitionem contra Mono-
 thelitas, Constantino Imperatore, qui eam
 congregaverat, non multò post defuncto, Iusti-
 niano ejus filio regnante pro eo. Eadem sancta
 synodus. A. Non rectè hæc edita sunt. Lege
 conjunctim: pro eo, eadem &c. C. filio ejus
 regnante pro eo, eadem sancta synodus divini-
 tus inspirata, iterum Constantinopoli quarto
 aut quinto anno congregata est, & canones nu-
 mero ccii. (A. Lege cii.) C. ad correctionem
 Ecclesie promulgavit. A. Hæc sunt ex actione
 sexta septimæ synodi. Confer nunc Ivonis
 verba parte iv. cap. cxxi. C. Actio quarta
 sextæ synodi. A. Septimæ pro sextæ scriben-
 dum, ut apud Gratianum. C. Petrus Nicome-
 diæ Episcopus dixit. A. Hæc meliora sunt
 quàm illic. C. Habeo librum &c. Omnia ha-
 bet ut Gratianus. In fine post verbum pro-
 mulgaret: Actio sexta tomo primo contra fal-
 sam*

Ivo par. 4. c.
 121. Decr.

Sam septimam synodum. Septima synodus quomodo dicitur quæ non concordat precedentibus sex universalibus synodis ? A. Ex his apparet omnia supra scripta esse ex septima synodo, quæ pseudosynodum dictam septimam evertit. Confer ultima verba Ivonis cum ultimis Gratiani verbis. C. *Item sancta sexta synodus &c.* Eadem verba. Sed meliùs ea scribuntur quæ tu admonuisti. *Et Iustiniano filio ejus regnante pro eo, eadem sancta synodus &c.* Sic etiam illa de numero canonum cii. A. Confer cum Cæsaraugustano libro. C. Contuli. Initio hæc sunt : *Actio quarta vi. synodi. Georgius Patriarcha dixit. Quidam per ignorantiam &c.* A. Hæc mendosa sunt. C. & post verbum *subscripserunt* additur : *Actio sexta tomo primo. Sancta sexta &c.* Quædam videntur desiderari. De numero canonum ut Ivo. A. Quid nunc B. habes contra Tarasij argumenta ? B. Neque eisdem Episcopos interfuisse, neque post quatuor solos aut quinque annos habitam fuisse. Utrumque docent apertè Græci duo, Theophanes & Anastasius Bibliothecarius. Annorum enim subducta ratione quibus Constantinus superstes fuit post sextam synodum & annorum Justiniani ejus filij, antequam eiceretur à Leontio, & ejusdem Leontij & Absimari tyrannorum, & ejusdem Justiniani iterum Imperatoris, fiunt anni xxvii. Quo medio tempore multi Episcopi, qui in ea synodo fuerant, mortui sunt, quos illi enumerant. Sed illud potissimum est,

Cæs. lib. i. cap. 38.

Viden. Humbert. contra Nicetam.



quòd hæc pseudosynodus post solutam sextam habita est, ut aperte dicit idem Tarasius. At convocare generalem synodum, & in ea præsidere, & acta confirmare, solius est Romani Pontificis. In hac repetita synodo non interfuerunt Legati Romani antistitis, ut omnes Græci fatentur; nunquam ab eodem convocata est, nunquam confirmata. Sequitur generalem non fuisse, aut œcumenicam, ut ipsi vocant. Quòd si generalis fuisset, non sexta aut *πενδέκτης* diceretur, sed septima. A. Confirmationem ex verbis Hadriani à Gratiano & aliis relatam probare quidam nituntur. B. Nosti quid Turrianus tuus adversus hanc confirmationem dicat. A. Redige in memoriam. B. Principio verba illa *sextam synodum sanctam cum omnibus canonibus suis recipio* non esse Hadriani verba, sed Tarasij relata ab Hadriano. Id ex actione secunda septimæ synodi cognosci potest, in qua actione lecta est hæc Hadriani epistula ad Tarasium. A. Cur non contradixit Hadrianus verbis Tarasij, si falsa scribebat? B. Quia aliqua ratione rectè loquebatur. Sextam scilicet synodum veram recipio & ejus canones, si qui sunt. Sed & si quis Græca verba cum Latinis conferat, non inveniet de sextæ synodi tantùm regulis loqui, sed de sex Conciliorum regulis. A. Tarasius post illa verba retulit canonem hujus repetitæ synodi de agni pictura: pro quo canone tuendo, uti acerrimo telo contra hæreticos, omnem lapidem movet ut persuadeat omnibus

Dist. 16. c. 5.

sextam esse & legitimam synodum eam in qua is canon conscriptus est, usque eo ut dixerit in synodo se habere suscriptionem omnium patrum sextæ synodi, qui etiam post hunc & ceteros canones subscripserint. B. Dicitur poterit Hadrianum hæc passum esse dici & scribi ut optato fine frueretur, quò hæresis illa effractorum imaginum tolleretur. Sed non sequitur omnes canones esse confirmatos, sed illum non esse improbatum. Alioqui sequeretur etiam canones contra cælibatum Clericorum & contra jejunia sabbati & de sanguine & suffocato confirmatos esse, quorum habuisse notitiam Hadrianum ignoramus. (2) A. Hadriani verba legantur, quæ Gratianus refert de consecratione distin. III. cap. XXIX. C. *Item Hadrianus Papa Tarasio Patriarche.* A. Non additur hic *universali*, ut in Græcis libris mendosè. C. *Sextam sanctam synodum recipio cum omnibus canonibus suis, in quibus dicitur: In quibus scripturis sanctarum imaginum* (A. *Scripturis positum est pro picturis.* est enim hoc caput XXXIII. Trullianum, in quo est: ἐν τισὶ τῶν ἑπιπέδων εἰκότων ἡρώδης) C. *agnus Precursoris digito ostensus depingitur.* A. *Lege clausulam ejus capituli.* C. *Verum igitur agnum Dominum nostrum Iesum Christum secundum imaginem humanam amodo etiam in imaginibus pro veteri agro depingi jubemus.* A. *pro veteri agno dicendum est.* Confer cum Ivone a & Cæsaraugustano. b C. *Adrianus Papa Tarasio Patriarche. Actio secunda synodi septima. Sanctam sextam &c.*

De consec. d. 3.
c. 29. Sextam.

a Ivo par. 4.
c. 122. decret.
b Cæsar. lib. 1.
c. 39.

In quibusdam picturis sanctarum imaginum &c. Verum igitur agnum, qui Dominum nostrum Jesum Christum secundum humanam imaginem effigiat, a modo pro veteri agno in imaginibus depingi jubemus. B. Melius extremum caput Gratianus posuit. Neque enim illa, qui effigiat, Græca verba habent. C. In Cæsaraugustano libro tantum est: *Adrianus Papa Tharasio Patriarcha. Sanctam sextam synodum recipio cum omnibus canonibus suis.* Sed apud Ivonem cap. cxxvi. partis quartæ sic est: *Responsiones Adriani Papæ contra objectiones quorundam ad Carolum cap. xxxv. Sancta sexta synodus fideliter per canones orthodoxè statuens, ita constituit dicens: In quibusdam venerabilium imaginum picturis agni digito præcursoris monstratus designatur, qui in signum relictus est gratiæ. Et post pauca: Secundum humanam figuram & in imaginibus & nunc pro veteri agno retitulari decernimus.* A. Hæc postrema obscurius dicta sunt. Prima verba hunc canonem satis confirmant, ceteros non item, de quibus alio die agemus. B. Omissa sunt alia ejusdem Hadriani verba, quæ sunt hæc aut his similia: *Idcirco testimonium de sancta sexta synodo pertulerunt ut clarificè ostenderent quòd jam quando sancta sexta synodus acta est, à priscis temporibus sacras imagines & historias pictas venerabatur. Unde ipsa sancta sexta synodus fideliter per canones orthodoxè statuens &c.* A. Ne his quidem verbis omnes canones confirmantur. B. Non est audiendus Antonius Concius

in h
teris
sent

(1)

Ex hi
ta est
stituit
canon
nodo
Ivo se
oratio
ad In
sunt:
sub I
suo (m
myster
cerum

(2)

bro in
rasio
cum c
4. c. r
in sec
ad Th
synodi
tinnus
sione
nimus
vestra
symbo
de fac
laude
& eaf
regul
sunt.
ipsa T

in hujus capituli editione, cum de picturis veteris Ecclesiae agit. A. Tacitis suffragiis ejus sententia improbetur. (3)

ADDITIONES.

(1) **G**RATIANI verba sunt in extremo cap. 6. *Habeo.* dist. 16. in editione Gregoriana: *Ex his ergo colligitur quod sexta synodus bis congregata est, primo sub Constantino, & nullos canones constituit; secundo sub Iustiniano filio ejus, & praefatos canones promulgavit. Unde sancti patres in eadem synodo secundo congregati dixerunt. In margine est. Ivo septimam vocat. Et: Ivo par. 4. c. 123. Et: In oratione allocutoria patrum qui in Trullo convenerant ad Iustinianum Imperatorem. Verba capituli septimi sunt: Quoniam sancta & universales synodi, quinta sub Iustiniano augusto, sexta sub Constantino patre suo (scribe tuo, ut in erratis notatur) augusto, de mysterio fidei plenissime disputantes, canones non fecerunt &c.*

(2) Capituli quinti ejusdem. distin. 16. in eodem libro inscriptio est: *Unde scribit Hadrianus Papa Tharasio Patriarche. Sextam synodum sanctam recipio cum omnibus canonibus suis. In margine est: Ivo p. 4. c. 122. In Notis haec sunt: Sextam] Hoc habetur in secunda actione septime synodi in epistola Hadriani ad Tharasium. Sed eo in loco Adrianus refert verba synodica epistola à Tharasio ad se missa. Et hic Gratianus non refert propria ejus epistola verba. In versione enim Anastasij Bibliothecarij sic legitur: Invenimus autem in praedicta synodica epistola sanctitatis vestrae, post plenitudinem fidei & confessionem sacri symboli & omnium sanctarum sex synodorum, & de sacris & venerabilibus characteribus miraculum laude ac veneratione dignissimum contineri. Quare & eandem sanctas sex synodos suscipio cum omnibus regulis quae jure ac divinitus ab ipsis promulgatae sunt. Et haec quidem postrema verba sunt etiam in illa ipsa Tharasis epistola. quod ex Concilio Graeco, & no-*

va interpretatione clarè apparet. Sequuntur Gratiani
 verba: Sed dubitatur de ea an canones conscripserit,
 quod ex quarta actione sexta synodi facile absoluitur.
 In Notis est: In secundo & XII. Vaticanis est sexta
 aliàs septimæ. Et verè septima est. sed ob glossam nihil
 est mutatum. In scholiis hæc sunt: Sexta synodi] Fal-
 sa est littera, & debet ibi esse septimæ synodi. Qua-
 liter enim dubitaret sexta synodus de eo quod ipsa fe-
 cerat? Mox in margine sunt Joannis Fant. & Archi-
 diaconi nugæ. Capitis sexti inscriptio est, post ver-
 bum absolvitur jam relatum: Ait enim Petrus Epif-
 copus Nicomedia. Habeo librum continentem canones
 sancta sexta synodi &c. In margine est: Ex actione
 quarta septima synodi. Et: Ivo p. 4. c. 121. In Notis
 hæc sunt: Habeo librum] Verba sunt Petri Episcopi
 Nicomedia ac Tharasi] Patriarcha Constantinopoli-
 tani actione quarta septima synodi. quod quidem ipsi
 de centum ac duobus canonibus dixerunt qui in Trullo
 tempore Iustiniani Rhinotmeti, secundo anno sue re-
 vocationis ad Imperium, editi sunt. Verùm ex his ipsis
 verbis Tharasi] apparet eos canones non esse proprios
 sexta synodi: quia fatetur post annos quatuor aut
 quinque quàm ea synodus fuerat absoluta canones il-
 los fuisse editos. quo tempore certissimum est neque eun-
 dem Romanum Pontificem neque eosdem Episcopos
 fuisse. Quamquam in hac ratione temporis potius cre-
 dendum est diligentissimis chronologis Theophani (cujus
 etiam verba, quæ ad hunc locum pertinent, ex origi-
 nali Græco Vaticano satis fideliter translata leguntur
 apud Franciscum Turrianum libro de 6. 7. & 8. sy-
 nodo) & Anastasio & Georgio Cedreno quàm Thar-
 astio. Illi enim non quattuor aut quinque ut Thar-
 astius, sed viginti septem annos à fine sexta synodi tem-
 pore Agathonis habita usque ad hanc hujusmodi De-
 cretorum editionem asserunt intercessisse. Episcopos ve-
 rò qui hos ediderunt noluisse ipsos edere tanquam ca-
 nones sexta synodi, sed voluisse supplere quod videba-
 tur in quinta ac sexta synodo deesse, ipsamet illorum
 ad Imperatorem allocutio testatur. Itaque nova di-
 cenda est hæc Episcoporum coitio. Ideoque Græci illam,
 ut scribit Balsamon, περιδέχθη, id est, quintam-sex-

nam synodum appellant. Ceterum non fuisse omnes illos canones à Romana Ecclesia receptos duo viri rerum ecclesiasticarum peritissimi, Anastasius Bibliothecarius & Humbertus Leonis IX legatus aperte testantur. Humbertus quidem his verbis: Non autem miror si Agathoni Papæ & sanctis patribus sextæ synodi vestra imputeris deliramenta, & quæ aut corrupistis aut finxistis capitula &c. Capitula quæ nobis sub ejus auctoritate apponitis omnino refutamus, quia prima & apostolica sedes nec aliquando ea accepit nec observat hactenus. Anastasius verò in præfatione in septimam synodum ad Ioannem VIII. Romanum Pontificem ita scripsit: Ergo regulas quas Græci in sexta synodo perhibent editas, ita in hac septima synodo principalis sedes admittit ut nullatenus ex his illæ recipiantur quæ prioribus canonibus vel decretis sanctorum sedis hujus Pontificum aut certè bonis moribus inveniuntur adversæ: quamvis omnes hactenus ex toto maneat apud Latinos incognitæ, quia nec interpretatæ. Sed nec in ceterarum patriarchalium sedium &c. Quamquam eosdem patres illas Græci promulgasse perhibeant qui in sexta synodo sunt inventi: sed nullis certè probare possunt indicijs.] Ad vers. sancta sexta. in margine additur: Ex sexta actione septima synodi. Verba ipsa non videntur sine mendo edita: Et Iustiniano ejus filio regnante pro eo. Eadem sancta synodus &c. Illud rectè est: & canones numero CII. ad correctionem Ecclesia promulgavit.

(3) De consecrat. dist. 3. cap. 29. Sextam. in editione Romana inscriptio est: Item Hadrianus Papa Tharasio Patriarcha in actione 2. ejusdem septima synodi. In margine hæc sunt: In epist. Hadr. ad Carolum c. 35. suprâ dist. 16. Et: In 6. syn. c. 82. lvo p. 4. c. 122. & 126. Verba capituli 29. sunt: Sextam sanctam synodum recipio cum omnibus canonibus suis, in quibus dicitur: In quibus picturis sanctarum imaginum agnus præcursoris digito ostensus depingitur, qui in figuram gratia transit &c. In margine est: In quibus] In quibusdam. Vera lectio. Et in scholiis post Casum: In quibus scripturis, id est, pictoris. [mendosè pro picturis] & sunt verba canonum 6. synodi.

In Notis hæc sunt : De sexta synodo & canonibus ipsius notatum est supra c. Sexta Synodus. (Deest dist. 19.) Gratia transit } Et in epistola Hadriani & apud Ivo- nem par. 4. c. 122. legitur in typum gratiæ assumptus est. Apud eundem Ivo- nem c. 126. ex Hadriano ad Carolum, in signum relictus est gratiæ. Græcè in ca- none sexta synodi est οὗτος τῶν παρελήφθη τὸ χεῖρ, id est, qui in typum gratiæ assumptus est. Sed ob glossam non est mutatum. In extremo capite hæc verba sunt : Verum igitur agnum Dominum nostrum Iesum Christum secundum imaginem humanam amo- do etiam in imaginibus pro veteri agno depingi ju- bebimus.

DE EADEM RE.

Dialogus octavus.

C. Quid est quòd contra canonem ab Hadriano confirmatum tam Romæ quam in provinciis pictura Præcursoris Domini digito agnum ostendit? Idem etiam fit in globulis illis cereis quæ à multis agni Dei, ab aliis amuleta dicuntur? A. Consuetudinis vis magna est, in re præsertim quæ potuit non impia videri. Cùm enim pictura histo- riam doceat vel potiùs rem gestam, cùm Præcursor digito agnum ostendit, venit in mentem inspicientibus eundem tunc dixisse: *Ecce agnus Dei*, & quæ sequuntur. Sic cùm Petro aut claves dantur aut oves committun- tur, si claves & oves pictæ sint, spectatores faciliùs rei gestæ recordantur quàm si sim- pliciter Christus loquens cum Petro pinga- tur. B. His imaginibus veteres usi sunt, tum